

Magdeburg, 1211, Juli 16.**63.**

Baldwin, Bischof zu Brandenburg, stiftet einen Vergleich zwischen Heinrich, Abt des Klosters Berge bei Magdeburg, und Ritter Bodo von Burg, wonach der erstere das Dorf Stridewisch sammt allem Zubehör, 2 Scheffel Roggen und 2 Scheffel Hafer aus dem Zehnten im Dorfe Karith an Bodo überträgt, dagegen den Zehnten und das Huntkorn in Pfennigsdorf, 5 Scheffel vom Getreidezins (spikergelt), den dritten Pfennig aus allen Wäldern des Klosters jenseit der Elbe, das Ufergeld und das Recht zu fischen behält.

Baldwinus dei gracia Brandenburgensis episcopus universis Christi fidelibus presentem paginam inspecturis. Cum Bodo miles de Burch a venerabili fratre nostro domino Henrico abbate de monte sancti Iohannis baptiste in Magdeburch quedam bona et quedam iura in feodo peteret, que dicebat patrum suum Conradum ab ipsa ecclesia tenuisse et sibi una cum ipso in feodo collata fuisse, tandem super eisdem bonis predictus dominus abbas et Bodo miles coram nobis ad compositionem amicabilem sunt reducti. Bona autem hiis nominibus sunt expressa: villa Stridwisc, decima et huntkorn in Penekesthorp, quinque chori de frumento quod dicitur spikergelt, tertius denarius in omnibus nemoribus memorate ecclesie transalbinis, item nummus littoris et iura piscationum et generaliter omnia bona sive infeodata sive libera, que prefatus patruus eius tenuit ab ecclesia supradicta. Forma vero compositionis hec est. Dominus abbas contulit eidem militi totam villam Stridwisc cum omnibus suis pertinentiis et duos choros siliginis et duos avene in decima ville Korit et renunciavit idem miles omnibus bonis aliis supra scriptis et iuravit quod prenominatam ecclesiam in repetitione bonorum eorundem deinceps non molestet. Adiecit etiam in iuramento quod socrum suam nomine Hazekam et fratres suos Heidenricum et Marquardum eisdem bonis renunciare faciat cum effectu. Item iuravit quod terminos qui marchsecede nominantur inter villam Stridwis (!) et nemus quod vocatur Kriel in illa distinctione servabit, quam Heidenricus et Mertiricus ministeriales ecclesie Bergensis et Ludegerus de Priztere iurati expriment et assignabunt bona fide. Testes autem huius compositionis hii sunt: dominus Wichmannus sancte Marie prepositus, magister Gernandus, magister Baldwinus Magdeburgensis, Henricus de Jericho, magister Hugo et magister Iohannes Brandenburgensis diocesis, Albero prepositus, Frithericus camerarius, Guncelinus capellanus Bergenses; de laicis: Ericus de Wanzleve, Hartmodus de Burch, Heidenricus de Honhave, Iohannes advocatus monasterii Bergensis et alii multi.

Datum XVII Kalendas Augusti Magdeburch in palatio domini Alberti sancte Magdeburgensis ecclesie archiepiscopi anno incarnationis domini millesimo CCXI.

Nach einer vom weil. Director Wiggert aus dem Original genommenen Copie im Staatsarchiv zu Magdeburg, Cop. XXXI Einlage. — Das Original führte nach dem Weissen Buche S. 829 folgende Aufschrift: Literae de quadam compositione Baldwini episcopi Brandenburgensis. P. III.